



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Saul ob inobedientiam, à Samuele verbis, à Deo spoliatione regni castigatus, gladio cecidit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

la antiqua eluuiouibus inundata, incendijs infumata, bellis exercita; pestilentijs exagitata. Si rectè rationem inimus, penè continuò fuère in terris eiusmodi malorum procellæ, raris malatiæ alcedonijs mitigatæ. Quid mirum? si Deus flagella non subtrahit? etiam homines sua scelera continuauerunt. Quod sanè iudicum tempore factum ostendimus. Idem factum est etiam tempore Regum.

## II.

1. Reg. 15. 17.

Saul primus inter reges Israelitarum, cum parvulus esset in oculis suis, quàm mirabili providentia Numinis ad sceptrum promotus est? Ob peccata Amalec iussus bellum facere Amalecitis; bellum fecit, sed non eo, quæ iussus est, modo, idcirco cum tota posteritate sua priuatus est iure regnandi, amissoque & filio primogenito, & exercitu, vitam quoque amisit. Præceptum à Deo datum erat: *Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos usq; ad internecionem eorum.* Peccatum fuit: quia *versus ad pradam est, & fecit malum in oculis Domini.* Secuta est pœna: *Pro eo ergo, quòd abiicisti sermonem Domini, abiicit te Dominus ne sis rex.*

Ibid. v. 18.

Ibid. v. 23.

2. Reg. 31. 2.

Iam meruerat regno spoliari, nec tamen desinebat peccare Saul, & delicta delictis addere, itaque *Philisthym pugnabant aduersum Israel: & fugerunt viri Israel ante faciem Philisthym, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe. Irrueruntq; Philisthym in Saul, & in filios eius, & percusserunt Ionathan, & Abinadab, & Melchisua filios Saul, totumq; pondus prælii versum est in Saul: & consecuti sunt eum viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittarijs.* Quia autem vnum ei vulnus non sufficiebat, Ajax factus, ipse in gladium suum iniecit. *Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius, in die illa pariter.* Diligenter & clarè illi Samuel Domini voluntatem indicarat. Quia ad Prophetas, ad videntes, ad eruditos, ad sacerdotes pertinet instruere, admonere, exhortari, opportunè atque importunè increpare, legem & mandata Domini exponere, ne Reges & Principes in iram Dei incurrant; ut voluntate diuina cognita, errantibus veritas patefiat, timidis addatur fortitudo, maleuolis charitas restauretur, stantibus maneat perseverantia inconcussa; denique ut protectio paterna Numinis non subducatur. Quòd sicubi peccatum est, Samuelis exemplo, nullius offensa metui debet, ac, dum hominem veremur,

Deum

Deum contemnamus. Magnates autem, & summa capita, ne-  
 putent, se supra obedientiam esse. Quamcumque quis in alto sit  
 loco constitutus, tamen infra rationem, infra Dei ministros, in-  
 fra Deum est; cui non obedire, est quasi peccatum ariolandi, ait  
 Samuel. Et alio loco ait Scriptura: *Qui superbierit nolens obedire*  
*sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille. Mortuus est*  
*ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & uniuersi viri eius, in die*  
*illa pariter.* Victus est ergo Saul, quia seipsum non vicit, vt Pro-  
 pheta, immò Dei mandato se subijceret: cui quisquis se potest  
 subijcere, potest & hostes subijcere sibi. *Hinc, ait S Gregorius,*  
*per Salomonem in ostensione obedientia dicitur: Vir obediens loquetur*  
*victorius, quia dum aliena voci humiliter subdimur, nosmetipsos in cor-*  
*de superamus.* Quid ad me Samuel, poterat dicere Saul? vici; spo-  
 lia sunt in mea manu, armenta in victimas cedent; noui & ego,  
 quid ad Domini gloriam spectet. Habeo multos in aula mea, qui  
 Prophetæ contraria suadent; faciam igitur, quod mihi videtur.  
 His talibus respondet D. Bernardus: *In quo inobedientia crimen*  
*absq; dubio sit, apud Samuelem aduertite: Quasi, inquit, peccatum ari-*  
*olandi est repugnare, & quasi scelus idololatria, nolle acquiescere: vt non*  
*in istonia simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contentio scelus*  
*idololatria reputetur. Non est enim id ipsum nolle obedire, & non obe-*  
*dire. Hoc quippe interdum erroris est: nonnumquam & infirmitatis:*  
*illud verò aut odiosa pertinacia, aut contumacia non ferenda. Qui-*  
*eumque igitur, mandatis Dei insuper habitis, qui spreta religione*  
*arma sumunt, armis hostiũ victi merentur interire. Veteres Ro-*  
*mani, militiæ laudibus insignes, vsque ad superstitionem, fuerunt*  
*augurum & religionum obseruantes. Sunt apud Christianos mul-*  
*ti, apud quos præda, & amplificatio regionis primum locum ten-*  
*ent, quidquid Samueles moneant, & reclamant. Quid igitur*  
*mirum est, si iudex supremus de cælo prospiciens, atque inobedi-*  
*entem superbiam videns, sinat eos interire?*

Sauli occiso Deus alterum regem substituit Dauidem. Qua-  
 lem domi bellique virum? qualem Dei seruum & cultorem? Sed  
 in solio erat, sed erat in potestate ac prosperitate. Nimis multis  
 exemplis docemur, eis quibus plus licet, plus libere, & virtutem  
 potentia facilius, quam disciplina succumbere. Itaque inter fe-

1. Reg. 15. 23.

Deuter. 17. 12.

1. Reg. 31. 6.

S Gregor. lib.

35. moral. c. 12.

S. Bernard in  
 tract. de præ-  
 cepto & dila-  
 tione

III.